



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Loquendi vsum amittit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

gressusque præsente adhuc Præfecto, ut eum percunctaretur, offendit tam loquendi facultate defectum, ut verbum ab eo nullum posset extorquere. Eo animaduerso introire in cubiculum omnes, lectum circum sedere de genibus, Deumque Ioanni propitiare. Iacebat Ioannes supinus, sensibus integris, nec impeditis, defixis in Crucem Rosarium & librum oculis, quæ tria ambabus tenebat manibus, ita posita in conspectu, ut attractis eretisque genibus (ne à visu abessent) sustentaret; manus sigillumque Crucis modicè in genua inclinanti, cetera elingui ac muto solus supererat palpebrarum motus. Ad hunc modum quaternis ferè horis lectulo spirantis circum adioluti, Deo animum eius commendabant, nunc preces repetendo, nunc religionis aliarumque virtutum actus subministrando: quod ille studium nutatione palpebrarum, gratum sibi esse indicabat. Gaudebat idem tidem lustrali aspergi, conatusque Crucem propriùs admouere, cum à proximis iuaretur, admotam ori religiosissimè disuuiabatur.

Nonnullos ægrè habebat, non iam reipsâ probari, quod superiore vesperâ prænuntiauerat futurum; loquentem nempe moritum se esse, eò maximè, quod cetera eius dicta fuissent euentis huc usque confirmata.

N 4 Horum

Horum quoque Deus metum subleuauit: nam circa nonam , cùm leuem aliquem labiorum motum P. Franciscus Piccolomini in eo aduertisset, rogassetque, num quid vellet; ille adnixus quantâ poterat vi, hæc verba expressit, *Vellem posse loqui.* Subijciente mox Patre, vt mente efferret IESV nomen , quando voce non posset: ille insigni adhibitâ contentione , semel , iterum , saepius explicatè IESV nomen pronuntiauit, vocemque paulatim cum loquendi vsu recepit. P. Rector, qui à sextâ ad vsque decimam illi adfuerat , animaduerso quod expedite iam loqueretur, multiique iuuando supererent, Ioannes frater, inquit, tempus est operandi sacris. Interea caue ne moriare, sed redditum meum opprire. Ille gratum sibi imperium esse indicans, respondit facturum. Dum Rector ad aram facit, nequissimus ille mortalium hostis alterâ Ioannem dimicatione sollicitare coepit; atque ille momento turbatus territusque, iactare se, vnoque impetu in has voces erumpere: *Hoc non feci voluntariè, non feci volenter, veniamus domum, veniamus domum.* Praeceptor eius, aduertens esse cacodæmonis oppugnationem ; Ioannes, ad me attende , inquit, neque aliud quam quod ego præibo, eloquere. Dic, *Credo Domine, Spero Domine, Amo Domine.* Ioannes rectè quidem ea verba repe-

*Recuperat
loquendi
vsum.*

*Iterum
tentatur.*